



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

1 V. Christo conueniat sedere ad dexteram Dei Patris

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

ARTICVLVS VI.

Virum Ascensio Christi sit causa nostra salutis.

3151



De tertium sic proceditur. Videtur, quod ascensio Christi non sit causa nostra salutis. Christus enim fuit causa nostra salutis, in quantum salutem nostram meruit. Sed per ascensionem nihil nobis meruit: quia ascensio pertinet ad premium exaltationis eius. Non est autem idem meritum & premium, sicut nec via & terminus: ergo videtur, quod ascensio Christi non sit causa nostra salutis.

2. Præterea. Si ascensio est causa nostra salutis, maxime hoc videtur quantum ad hoc, quod ascensio eius sit causa nostra ascensionis: sed hoc collatum est nobis per eius passionem: quia ut dicitur Hebr. 10. habemus fiduciam in introitu Sanctorum per sanguinem ipsius. Ergo videtur, quod ascensio Christi non fuerit causa nostra salutis.

3. Præterea. Salus nobis per Christum collata, est sempiterna: secundum illud Isai. 15. Salus autem mea in sempiternum erit. Sed Christus non ascendit in celum, ut ibi in sempiternum esset. Dicitur enim Acto. 1. Quemadmodum vidisti eum ascendentem in celum, ita veniet. Legitur etiam, multis Sanctis se demonstrasse in terris post suam ascensionem, sicut de Paulo legitur Act. 9. Ergo videtur, quod eius ascensio non sit causa nostra salutis.

Sed contra est, quod ipse dicit Ioannis 16. Expedi vobis, ut ego vadam, id est, ut recedam à vobis per ascensionem.

Respondetur dicendum, quod ascensio Christi est causa nostra salutis dupliciter. Vno modo ex parte nostra: alio modo ex parte ipsius. Ex parte quidem nostra, in quantum per Christi ascensionem mens nostra mouetur in ipsum. Quia per eius ascensionem (sicut supra dictum est) primo quidem datur locus fidei, secundo spei, tertio charitati. Quarto etiam per hoc reuerens a nostra augetur ad ipsum, dum iam non existimamus eum sicut hominem terrenum, sed sicut Deum celestem, sicut & Apostolus dicit 2. ad Cor. 5. Et si cognouimus secundum carnem Christum (id est, mortalem, per quod putauimus eum tantum hominem: ut glossa exponit) sed nunc iam non nouimus. Ex parte autem sua quantum ad ea, quæ ipse fecit, ascendens propter nostram salutem: primo quidem viam nobis preparauit ascendendi in celum: secundum quod ipse dicit Ioan. 14. Vado parare vobis locum: & Mich. 2. Ascendit, pandens iter ante eos. Quia enim ipse est caput nostrum, oportet illuc sequi membra, quo caput præcessit. Vnde dicitur Ioan. 14. Ut vbi ego sum, & vos stis. Et in huius signum, animas Sanctorum, quas de inferno eduxerat, in celum traiecit: secundum illud Psal. 67. Ascendens Christus in altum, captiuam duxit captiuitatem: Quia scilicet eos, qui fuerant à diabolo captiuati, secum duxit in celum, quasi in locum peregrinum humana natura, bona captione captiuos, ut pote per victoriam acquisitos. Secundo, quia sicut Pontifex in veteri Testamento intrabat Sanctuarium, ut assisteret Deo pro populo: ita Christus intravit celum ad interpellandum pro nobis, ut dicitur Hebr. 7. Ipsa enim representatio sui ex natura humana, quam in celum intulit, est quadam interpellatio pro nobis: ut ex quo Deus humanam naturam, sic exaltauit in Christo, etiam eorum misereatur, pro quibus filius Dei humanam naturam assumpsit. Tertio, ut in celorum sede quasi Deus, & Dominus constitutus, exinde diuina dona hominibus miseretur: secundum illud Ephes. 4. Ascendit super omnes celos, ut adimpleret omnia, scilicet et donis suis, secundum glossam.

Ad primum ergo dicendum, quod ascensio Christi est causa nostra salutis non per modum meriti, sed per modum efficiencie: sicut supra de Resurrectione dictum est.

A Ad secundum dicendum, quod passio Christi est causa nostra salutis ascensionis in celum proprie loquendo, per remotionem peccati prohibentis, & per modum meriti, ascensio autem Christi est directe causa ascensionis nostre, quasi inchoando ipsam in capite nostro, cui oportet membra coniungi.

Ad tertium dicendum, quod Christus semel ascendens in celum, adeptus est sibi & nobis in perpetuum ius, & dignitatem mansionis celestis. Cui tamen dignitati non derogat, si ex aliqua dispensatione Christus quandoque corporaliter ad terram descendat, vel ut ostendat se omnibus, sicut in iudicio, vel ut ostendas se alicui specialiter, sicut Paulo, ut habetur Act. 9. Et ne quis credat hoc factum fuisse, non Christo ibi corporaliter presente, sed aliquo modo apparente, contrarium apparet per hoc, quod ipse Apostolus dicit 1. ad Cor. 15. ad confirmandam resurrectionis fidem. Nouissime omnium tantum abortiuo visus est & mihi. Quæ quidem visio veritatem resurrectionis non probaret, nisi verum Christi corpus visum fuisset ab eo.

COMMENTARIVS.

Doctrina D. Thome in hoc articulo est optima, sed nullam habet difficultatem, & præterea de hac re multa diximus in primo articulo huius quæstionis & in 1. tomo, ubi disput. 31. sect. 7. declarauimus, quomodo Christus operetur nostram salutem per operationes, quæ in sua humanitate præcellerunt: & disput. 32. sect. 4. quomodo ascendens in celum adimpleuerit omnia: & disput. 45. sect. 2. quomodo in celo existens, oret pro nobis. Quod autem in sol. ad 3. tangit D. Tho. an postquam Christus ascendit in celum, inde aliquando descendit, postea disputandum est.

QVÆSTIO LVIII.

De sessione Christi ad dexteram Patris, in quatuor articulos diuisa.



Deinde considerandum est de sessione Christi ad dexteram Patris.

Et circa hoc queruntur quatuor.

Primo, virum Christus sedeat ad dexteram Dei Patris.

Secundo, virum hoc conueniat sibi secundum diuinam naturam.

Tertio, virum conueniat sibi secundum humanam naturam.

Quarto, virum hoc sit proprium Christi.

ARTICVLVS I.

Virum Christo conueniat sedere ad dexteram Dei Patris.



Primum sic proceditur. Videtur, quod Christo non conueniat sedere ad dexteram Dei Patris. Dexteræ enim, & sinistræ sunt differentie positionum corporalium. Sed nihil corporale conuenit Deo: quia Deus spiritus est, ut habetur Ioan. 4. Ergo videtur, quod Christus non sedeat ad dexteram Patris.

2. Præterea. Si aliquis sedet ad dexteram alicuius, ille sedet ad sinistram eius. Sic ergo Christus sedet ad dexteram Patris, sequitur, quod Pater secat ad sinistram Filij, quod est inconueniens.

3. Præterea. Sedere, & stare videntur oppositionem habere.

bere. So¹ Stephanus dicit Act. 7. Ecce video celos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei, ergo videtur, quod Christus non sedeat ad dexteram Patris.

Sed contra est, quod dicitur Marc. vlt. Dominus quidem Iesus postquam loquutus est eis, ascendit in celum, & sedet à dextris Dei.

Respondeo dicendum, quod in nomine Sessionis possumus duo considerare, videlicet quietem, secundum illud Luc. vlt. Sedere hic in ciuitate. Et etiam regiam, vel iudiciariam potestatem, secundum illud Proverb. 20. Rex qui sedet in solio iudicij dissipat omne malum intuitu suo. Vt ergo modo Christo conuenit sedere ad dexteram Patris Vno quidem modo in quantum aeternaliter manet incorruptibilis in beatitudine Patris, quae eius dextera dicitur, secundum illud Psal. 15. Delectationes in dextera tua vsque in finem. Vnde August. dicit in libro de Symbolo. Sedet ad dexteram Patris: Sedere, habere intelligit, quod modo dicimus de quocunque homine, in illa patria sedet per tres annos. Sic ergo credite Christum habitare in dextera Dei Patris: beatus enim est, & ipsius beatitudinis nomen est dextera Patris. Alio modo dicitur Christus sedere ad dexteram Dei Patris, in quantum Patri corregit, & ab eo habet iudiciariam potestatem: sicut ille, qui considerat Regi ad dexteram, asidet ei in regnando, & iudicando. Vnde August. dicit in alio serm. de Symbolo. Ipsam dexteram intelligit potestatem quam accepit ille homo susceptus à Deo, ut venias iudicandus qui prius venerat iudicandus.

Ad primum ergo dicendum, quod (sicut Damasc. dicit in 4. libro) non localem dexteram Patris dicimus. Qualiter enim, qui circumscriptibilis est, localem adipiscitur dexteram? Dextera enim, & sinistra eorum, quae circumscribuntur sunt. Dextera autem Patris, dicimus gloriam, & honorem Diuinitatis.

Ad secundum dicendum, quod ratio illa procedit, secundum quod sedere ad dexteram intelligitur corporaliter. Vnde August. dicit in quodam sermone de Symbolo. Si carnaliter acceperimus quod Christus sedet ad dexteram Patris, ille erit ad sinistram. Ibi autem, scilicet in aeterna beatitudine, omnis dextera est, quia nulla est ibi miseria.

Ad tertium dicendum, quod (sicut Greg. dicit in hom. ascensionis) sedere iudicantis est: stare vero pugnantis, vel adiuuantis. Stephanus ergo in labore certantis positus, stantem vidit, quem adiutorem habuit. Sed hunc post ascensionem Marc. sedere scribit, quia post ascensionis suae gloriam, index in sine videbitur.

COMMENTARVS.

In hoc articulo docet D. Thomas hanc esse metaphoram locutionem, & metaphoram consistere in duabus vocibus, scilicet in verbo sedere, quod non significat corporaliter sedere, sed existere, permanere, habitare, pacifice possidere: & in voce dextera, quae non significat partem corporis humani, nec localem situm: sed diuinam beatitudinem, vel potestatem iudicandi & regendi. Quae expositione posita facile intelligitur, quomodo Christus dicatur sedere ad dexteram Dei. Et hinc etiam expediuntur facillime omnia, quae D. Tho. in reliquis articulis tractat. Nam si per dexteram Dei intelligamus beatitudinem per essentiam, sic Verbum diuinum etiam ut Deus sedet ad dexteram Patris, id est, existit in eadem gloria, beatitudine, & dignitate, quam habet pater: non tamen ita proprie dicitur Pater sedere ad dexteram filij, quia illa particula, ad, videtur ordinem, seu auctoritatem originis importare. At vero si per dexteram intelligamus participationem creatam diuinæ beatitudinis, & potestatis, sicut hæc non est collata Christo, ut Deo, sed ut homini: ita non conuenit illi sub hac ratione sedere ad dexteram patris, ut Deo, sed ut homini. Præterea, si dex-

tera Dei, significet absolute participationem diuinæ beatitudinis, sic non soli Christo, sed omnib. beatis competit sedere ad dexteram Dei, iuxta illud ad Ephes. 2. Conuersi/citauit nos, & con/sedere nos fecit in celestibus in Christo Iesu. Nam in Christo tanquam in capite omnes resurgimus, & ascendimus, & per ipsum datur nobis spes resurgendi, & ascendendi, ac perpetuo beatitudinem possidendi, quod est, sedere ad dexteram Dei, iuxta hanc explicationem. Si autem dextera Dei, quasi per antonomasiam significet eminentem participationem diuinæ beatitudinis præ cæteris alijs creaturis, cum quadam dominatiua potestate quasi propria, & connaturali, sic proprium est Christi, sedere ad dexteram Dei, iuxta illud ad Hebr. 1. Ad quem autem angelorum dicit aliquando: Sede à dextris meis. Quanquam enim hic locus intelligi possit de filio ratione diuinæ naturæ: tamen & proprius intelligitur de Christo, ut homine (sicut infra dicemus) & ex vno sensu necessario sequitur alius. Nam si Christus est verus Dei filius sedens à dextris Dei in vera æqualitate cum Patre, necesse est, ut etiam in quantum homo, gloria, & maiestare præcedat omnes creaturas, atque adeo, ut etiam secundum humanitatem ad dexteram Dei sedeat præ omnibus creaturis. Et hæc sufficiunt ad explicationem omnium articulorum sequentium, quia nulla in eis occurrit difficultas circa D. Thomæ contextum: de re autem ipsa in disputatione sequenti nonnihil dicemus.

ARTICVLVS II.

Utrum sedere ad dexteram Patris conueniat Christo secundum quod Deus.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod sedere ad dexteram Patris, non conueniat Christo, secundum quod Deus. Christus enim, secundum quod est Deus, est dextera patris. Sed non videtur idem esse dextera alicuius, & ille, qui sedet ad dexteram eius. Ergo Christus secundum quod est Deus, non sedet ad dexteram Patris.

2. Præterea. Marc. vlt. dicitur, quod Dominus Iesus assumptus est in celum, & sedet à dextris Dei: Christus autem non est assumptus in celum, secundum quod Deus: ergo etiam neque secundum quod Deus sedet à dextris Dei.

3. Præterea. Christus, secundum quod Deus, est æqualis patri, & Spiritus sancto. Ergo si Christus, secundum quod Deus sedet ad dexteram patris, participatione & Spiritus Sanctus sedebit ad dexteram Patris & Filij, & ipse Pater ad dexteram Filij, & Spiritus sancti, quod nusquam inuenitur.

Sed contra est, quod Damasc. dicit, quod dexteram Patris dicimus gloriam, & honorem diuinitatis, in qua filius Dei exiuit ante secula, ut Deus & patri consubstantialis.

Respondeo dicendum, quod ut ex prædictis patet, nomine dextera tria intelligi possunt. Vno modo, secundum Damasc. gloria diuinitatis: alio modo, secundum August. beatitudo patris: tertio modo, secundum eundem, iudiciaria potestas. Sessio autem, ut dictum est, vel habitationem, vel regiam, seu iudiciariam dignitatem designat. Vnde sedere ad dexteram patris nihil aliud est, quam simul cum patre habere gloriam diuinitatis, & beatitudinem, & iudiciariam potestatem: & hoc immutabiliter & æqualiter. Hoc autem conuenit filio Dei, secundum quod Deus. Vnde manifestum est, quod Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram patris. Ita tamen quod hac propositio, ad qua transitiva est, solam distinctionem personalem importat, & originis ordinem, non autem gradum naturæ, vel dignitatis, qui nullus est in diuinis personis: ut in prima parte habitum est.

Ad pri-

Ephes. 2.

Hebr. 1.

317.

Hebr. 1. lo. 3. c. 1 & loc. 6. pr. & c. 8. lo. 7. co. 1. & 1. co. 4.

libr. 4. col. 2.